



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

317. Quæ sint dignitates, quibus jure communi annexum sacerdotium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

tempore. Pass. loc. cit. vel si negligens fuit in procuranda confirmatione, à tempore, quo post electionem per eum stetit, quo minus confirmaretur. AA. iidem.

*Quaestio 316. An & quis Ordo sacer requiratur in promovendo ad dignitates, & Praelaturas Ecclesiasticas alias Episcopatu inferiores tam seculares quam regulares, aut etiam beneficia, quibus cura animarum incumbit?*

**R**espondeo: sacerdotium, non quidem actu habitum, sed vi electionis acceptatae suscipiendum infra tempus à jure statutum, sumitur ex c. 1. de atar. & qualit. praesciend. ubi statuitur, si tales presbyteri non sint, fiant. Abb. ibid. Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 2. Sanch. opusc. l. 2. c. 2. dub. 22. n. 1. cum communi, sed neque de jure communi requiritur actu habitus subdiaconatus; nam capiti praeterea, de atar. & qualit. pres. ubi id requireretur, derogatum est jure novo, nempe per c. si pro Clericis, de prob. in 6to. Verumque id est non tantum, ubi quis tale beneficium impetrat à Papa, vel etiam via praesentationis, sed etiam via electionis. Franc. in cit. c. si pro Clericis, n. 5. Pirh. ad tit. de atar. & qualit. n. 42. Quin & sufficit actu habita prima tonsura absque minoribus, modò sit talis aetas, ut promotus, etiam via electionis, ut intra annum fieri possit sacerdos. Garc. p. 7. c. 4. n. 44. Rebuff. in praxi tit. requisita ad benef. collat. nu. 33. Paris. de resign. l. 4. q. 9. n. 34. Pass. n. 377. contra Sanch. opusc. l. 7. c. 1. dub. 48. n. 4. Franc. Lambert. Pirh. loc. cit. Fagn. in c. licet. de elect. in 6to. n. 6. (quamvis is fateatur ad cit. c. praeterea. apud Pirh. loc. cit. in praxi parochiales Ecclesias conferri etiam Clericis prima tonsura) requirentes ad beneficium vel officium sacerdotale ad minimum actu minores Ordines, ed quòd quoad hoc non sit derogatum. c. praeterea, sed potius confirmatum, dum c. si pro Clericis, dicendo non requiri, ut promovendus sit constitutus in sacris, excludat solos Ordines sacros, & vel sic requiri saltem minores, tacite innuat Pirh. loc. cit. Neque juxta Suar. excipitur Abbas propter c. tuam. de atar. & qualit. ubi dicitur, in necessitate etiam tantum in minoribus constitutum posse assumi in Abbatem; nam ibi sermo est de Abbate, qui in minoribus constitutus simul erat irregularis, adeò, que decernit solum Pontifex, ordinatum minoribus, qui non potest sacris initiari ob irregularitatem, extra necessitatem in Abbatem assumi non posse. Suar. de relig. loc. cit. n. 22. Quamvis tamen communior hujus capituli sensus & interpretatio sit, quòd constitutus tantum in minoribus extra necessitatem (in necessitate autem, vel ob utilitatem Ecclesiae cum tali dispensare poterit Episcopus. Pirh. loc. cit. n. 40.) eligi nequeat in Abbatem, cum quo optimè stat, quod in Abbatem eligi adhuc possit subdiaconus tantum, neque requiratur, ut plures volunt, sacerdotium. Abb. in cit. c. tuam. n. 2. Pass. loc. cit.

*Quaestio 317. Quenam sint dignitates, quibus de jure communi annexum est sacerdotium?*

**R**espondeo: earum enumerari quatuor, c. 1. de atar. & qualit. presc. scilicet Abbatiam, praeposituram, decanatum, Archipresbyteratum, ita et-  
P. Leuren. Fori Benef. Tom. I,

iam, ut si nolint, vel etiam justà causà impediatur suscipere sacerdotium, amittant has dignitates. Hoc tamen intelligendum de his dignitatibus, dum collegium vel conventus & curam animarum habent. Ad hujusmodi enim dignitates non curatas obtinendas dum juxta Tridentinum sess. 24. c. 12. sufficit annus aetatis vigesimus secundus completus, patet non requiri jure communi sacerdotium, cum quis viginti duorum annorum tantum intra annum nequeat ordinari sacerdos, prout requiritur in obtinentibus dignitates, quibus annexus est presbyteratus. Pirh. de atar. & qualit. n. 380. Fagn. in cit. c. 1. num. 6. referens pro hoc decisionem S. Congreg.

*Quaestio 318. An, & qualis Ordo sacer suscepiendus, vel suscipiendus requiratur in Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum?*

**R**espondeo: jure communi, & praesciendendo à decreto Tridentino; quo voluit Canonicatus Cathedrales distingui in subdiaconales, diaconales & presbyterales, nullum nec actu, nec habitu requiri in iis Ordinem sacrum. Pirh. loc. cit. num. 44. cum communi. Neque enim ad substantiam Canonicatus requiritur, habere suffragium in Electionibus aliisque actibus capitularibus (ad quod nec ex confessione Capituli, nec ex Episcopi dispensatione admitti possunt absque actu habitu Subdiaconatu, ut dictum aliàs. Clem. 2. de atar. & qualitat. pres.) retinentque absque jure ferendi suffragium in capitulo, stallum in choro, ageréque possunt omnia, quae fiunt extra Capitulum; unde si collatio beneficii spectet ad turnarium potest is, et si in sacris non constitutus, illud conferre, nisi obster specialis consuetudo, vel statutum. potest item optare praebendam, cum isti similesque actus non sint collegiales, sed competant ratione canonica, non ex voce Capituli. Pirh. loc. cit. num. 45. vide Garc. p. 3. c. 4. nu. 32. sic etiam possunt Decani, qui non sunt Praelati principales convocare Capitulum, & in eo proponere, & resolutiones accipere (non tamen dare suffragium) absque eo quòd sint in sacris, Barb. de canon. c. 27. num. 12. Potest etiam Praelatus principalis Ecclesiae collegiatae, etiam si in sacris non constitutus, etiam negligens infra annum promoveri ad Ordinem illi dignitati annexum, praesidere & habere vocem in Capitulo, ed quòd tale caput Capituli diversum à membris nomine Capituli non veniat, praesertim in materia poenali & correctoria juris antiqui, qualis est dicta consuetudo. c. clement. ibid. gl. 5. in eisdem. Abb. nu. 14. Barb. n. 12. vide Pirh. loc. cit. num. 45.

*Quaestio 319. Quantum sit tempus, intra quod electus, vel aliter promotus ad beneficium curatum, debeat suscipere sacerdotium, & quo die incipiat illud tempus?*

**R**espondeo ad primum: tempus est annus, sic expressè de parochis c. licet. & cum ex eo. de elect. in 6to. Rebuff. tit. de non promotis infra annum. in principio. Azor. p. 2. l. 6. c. 8. q. 2. Barb. ad cit. c. licet. nu. 7. Pass. n. 360. De obtinentibus verò in Cathedrali, vel collegiata seculari vel regulari, dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones, aliave beneficia habentia annexum sacerdotium, vel etiam alium Ordinem, Trident. sess.